



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Societatem vouet Anno M.D.XLIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

cillimè concipit flammam, ita paulatim animo,  
sensibusque immutatus est, ita mentem lux cœle-  
stis impleuit: denique, ita est nouo quodam vi-  
gore perfusus, vt & in corpus redundantē diuinæ  
beneficentiæ copia, totus corroborari, totus in ali-  
um prorsus hominem transire sibi, ac transfigura-  
ri videretur. Itaque vix meditationibus iis perfun-  
ctus, vel, vt opinor, nondum omnino perfunctus,  
ipso die S. Michaëlis, qui tertium & vigesimum il-  
li inchoabat ætatis annum, post maturam delibe-  
rationem hæc vota concepit. Primum exemplo  
se ad Societatis obedientiam transiturum; ac paū-  
pertatem Euangelicam, quatenus eiusdem Socie-  
tatis Præfides statuerent, complexurum. Præterea  
ad sancta Apostolorum Petri, & Pauli peregrina-  
turum iimina. Postremò nisi Societate recipere-  
tur, aliam quamcunque probatae religionis fami-  
liam, quam illa præscriberet, initurum. Hanc for-  
mulam scripto exceptit ( autographum penes nos  
est ) tripliciique cruce subsignauit: tum adiecit,  
Modis omnibus orare se Præfides, ut commone-  
rent sese, corriperentque, si quando segnem perspi-  
cerent: atq; ad ea præstanta seuerè compellerent.  
Fortè quis admiretur, quod nulla in his votis mē-

*Societatem  
vener anno  
1543.*

D 2 tio

tio fiat castitatis. Causam putarim, quod virginitatem iam dudum singulari, proprioque voto dedicarat.

Ita institutus, & ad Societatis rudimenta receperitus Coloniam ad diuina studia prosequenda remittitur. Ibi cum Ioanne, Aluaroque supradictis animo, & frequentiore vsu coniunctus, maiore quadam vi ad vtilitates publicas deriuare operam cœpit. Ad miserorum leuandas calamitates tam se impensè, profuseque dabant, vt monendi fuerint à Fabro, ardorem vt temperarent, ne præpropera occupatio maioribus bonis officeret, ad quæ studiis eo tempore limandis adornarentur. Canisius autem dum repertum à se bonum communicat, & Fabri laudes deprædicat, facilem illi viam aperuit, ac præmuniuit cum apud alios, tum maximè apud Carthusianos Patres, quorum nobile in primis Cœnobium stat Coloniæ. Itaque eius mox aduentu intima inuicem caritate coorta, haud temerè vsquam Societas magis studiosos, magisque liberales amicos, atque adeò patronos habuit. Communicauit & suum gaudium de inita Societate Canisius cum sociis, qui Louanij versabātur, ac nominatim cum Francisco Strada. Erat is ætate

Pernor in in-  
uandis pro-  
nimis.

Societati  
gratiam Co-  
loniae consi-  
liat.